

appareat, sciendum est, duplicem esse formam (1.) datur forma informans (2.) denominans. Illa est, quæ cum materiâ unitur, cum quâ unum quid constituit, ut anima respectu corporis; Hæc est, à qua res aliqua habet appellationem, sicut v. gr. à calore aliquid dicitur calidum. Major vera tantum est de formâ informante non autem de quâlibet formâ denominante, qualis forma est abstractum.

§. 5. *Secundò* oggerunt: Si DEUS est Ens, DEO erit aliquid prius, Consequens est falsum. E. & Antecedens. Consequentia probatur, quia omne concretum habet aliquid prius, nempe abstractum. Ens autem est concretum. E. importat prius quippiam, nempe abstractum, quod est Entitas, & si DEO tribuitur, importabit prius quippiam. Resp. Consequentia potest dupliciter intelligi (1.) de prioritate reali hoc modo; Si DEUS est Ens, DEO erit aliquid prius realiter; sic negatur consequentia: quod probationem attinet Resp. quod concretum importet prius quippiam, nempe abstractum, hoc autem non statim realiter est prius, tantum quoad nostrum concipiendi modum sive ratione tantum à nobis ut prius quid concipitur. (2.) Major potest intelligi de prioritate rationis hoc modo: Si DEUS est Ens, DEO erit aliquid prius ratione, hoc modo negatur consequens esse falsum, nihil enim obstat, quò minus nos in DEO aliquid concipiamus ut prius, aliud ut posterius; sic cum quaeritur, cur DEUS sit æternus, à priori assignatur aliquid, nempe quia est immutabilis.

§. 6. *Tertiò* ogganniunt: Quicquid est perfectio creaturæ, DEO non debet tribui, Atqui Ens est perfectio creaturæ E. Deo non debet tribui. Major probatur, quia perfectio creaturæ est finitum quid, in DEO autem nihil datur, quod sit finitum. Minor probatur, quia Ens competit creaturis, ut ad earum essentiam spectet. Resp. negatur major

jor